



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.  
Pont. Max. Liber II.**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

Titulus XVIII. De Confessis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)



# PARS III.

## Probationes, & Exceptiones in Lite.



**I**N præcedenti Parte Legislator noster Ordinationem Actuum Judicialium tum inter se, tum secundum tempus à JUDGE Ecclesiastico observandum ostendit: ubi multa de varijs questionibus, quæ in Judicium incidere, & antequam ad Causam principalem processus

fiat, decidi nonnulla solent, & debent. His expeditis, ad ipsam causam principalem tractandam progredi Judex debet: quod fit audiendo Positiones Actoris, in quibus ille intentionem suam fundat; & Exceptiones Rei, quibus iste illius intentionem conatur elidere. Utræque ferè probari debent. Unde quæ fieri hoc debeat, Tertia hæc Pars Libri, quem præ manibus habemus, Decretalium Secundi à Tit. XVIII, usque ad Tit. XXVI. dilucidius ostendet.

## TITULUS XVIII.

### De Confessis.

**A**Liquando ab onere probandi reus Actorem relevat, quod tum contingit, quando aliquam, vel aliquas ex Positionibus sibi ab Actore propositis fateatur; cum enim opti-

ma probatio sit proprii oris confessio, quoad illa, quoad quæ reum fatentem habet, probatione Actor non indiget. Ur autem sciamus, quæ vis sit Confessionis in Judicio, sit

### §. I.

### De Natura Confessionis, hujus Varietate, & requisitis.

## SUMMARIUM.

- 1. 2. Definitio Confessionis, & ejus Varietas.
- 3. 4. Quando reus Judici interroganti debeat respondere de crimine?
- 5. 6. Quando iste illum interrogare de Socijs criminis?
- 7. 8. 9. Requisita, ut nominans Socios adversus hos idem faciat.

- 10. 11. 12. 13. 14. 15. Requisita universim ad Confessionem Judicalem.
- 16. 17. 18. 19. An Confessio Judicialis requirat sententiam definitivam ferendam in consententem.

**Q**Uæritur 1. quid, & quotuplex sit Confessio? *2.* Confessio prout hic accipitur, est ejus, quod ab Adversario intenditur, in Judicio, vel extra illud facta asseveratio. Ita quoad rem DD. communiter, maximè Hiltrop. *Process. Judic. p. 3. tit. 17. §. quæ requiruntur Sc. n. 1. Gonzal. in c. 1. h. tit. n. 4. Haun. tom. 5. de J. & J. tr. 3. n. 507. Pirh. hic n. 1. Schambog. n. 2. König n. 1. Wiest. n. 1.* Quatuor autem maximè modis dividi Confessio solet.

1. In Discretam, & Indiscretam. Discreta est, quæ fit cum expressione causæ, ex qua orta est obligatio; Indiscreta, quæ

genericè tantum, & absque mentione causæ obligantis. In exemplo, si Titius fateatur Caio se eidem debere 100 fl. ex contractu mutui, est discreta Confessio; si mentionem causæ non faciat, ex qua debet hanc summam, est Confessio indiscreta.

2. In Simplicem, & Qualificatam. Simplex Confessio est, quando quis Adversarij intentionem confitetur simpliciter, & sine adjecta qualitate restringente, ut si Titius fateatur se occidisse Cajum, propter quod accusatur: hac confessione fundatur Actoris intentio. Qualificata est, quando fateatur quidem Actoris intentionem, sed adjecta conditione, vel qualitate aliqua, per quam con-



confessio restringatur, ut si idem Titius fateatur quidem se occidisse Cajum, sed addat id se fecisse, non nisi causâ justâ defensionis.

3. In Expressam, & Tacitam. *Expressa*, quæ etiam *Vera* confessio nuncupatur, est, quæ fit verbis, scripturâ, vel alijs signis declarandâ voluntati accommodis. *Tacita*, quæ & *quasi Confessio* appellatur, est, quæ ex certo aliquo factô elicitur, vel à Lege intervenisse fingitur: quod varijs modis potest contingere. Et 1. si quis de delicto cum actore transigat, numerando ei pecuniam, vel aliud quid præstando, ut ab accusatione absteat; cum enim suum jactare nemo consueverit, is, qui ita transigit cum accusatore, delictum confiteri censetur, & perinde, ac si condemnatus fuisset, infamia notatur *l. Athletas 4. §. fin. & l. seq. ff. de his, qui notant. infam.*

2. Si quis sit contumax, & in Judicio non respondeat, vel non rectè *c. fin. b. tit. in 6. & l. contumacia 3. §. contumax 1. ff. de re judic.* ubi tamen excipitur, qui ex causa non respondet; nam ut textus *ibid. §. fin.* ait, *Contumaces non videntur, nisi qui, cum obedire deberent, non obsequuntur.* 3. Qui fugit, & Judicio post litem contestatam se subducit *l. consiliarios 3. C. de Assessor. & c. nullus 4. de præsumpt.* ubi Bonifacius Papa, *Nullus dubitat*, inquit, *quod ita Judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur, qui est innocens, querit; confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere Judicium dilationibus putat.* 4. Qui renuntiat liti; talis enim ostendit se non habere jus, aut saltem credere se non habere *arg. l. si adversarius 3. C. de fid. instrum.* 5. Qui producit Instrumentum, vel Rescriptum: nam hic confiteri censetur ibi contenta; alias ad probationem eidem non deserviret, utpote dubiæ fidei.

6. Qui ad Positiones ab Adversario allegatas à Judice respondere jussus tacet, aut obscure respondet *c. fin. cit.* nam hic quoad eas Positiones pro confesso habetur. Neque refert, utrum omnino respondere detrectet, an verò obscure respondeat; nam ut bene Barbof. *in c. cit.* advertit, sic respondere est, quasi nihil respondisset. Plures alios modos vide apud alios DD.

4. Denique, & principaliter dividitur Confessio in Judicalem, & Extrajudicalem. *Judicialis* est, quæ fit in Jure, seu Judicio. *Extrajudicialis*, quæ extra illud. Præcipuè de his agitur: unde

Quæritur 2. an reus in Judicio interrogatus de crimine respondere teneatur? 3. cum distinctione: Vel enim constat, quòd Judex non interroget legitime, vel constat, quòd interroget legitime, vel dubium est, an interroget legitime, necne?

Si primum est, e.g. quia Judex interrogat reum de crimine, de quo nondum

est diffamatus, nec alijs indicijs ad sempiternam probationem gravatus, non teneretur respondere, neque ex taciturnitate haberi potest pro confesso; quia eo casu Judex egreditur limites sue potestatis, & conf. interrogat tanquam privatus.

Si tertium, iterum non teneretur confiteri; quia in dubio melior est conditio possidentis: & licet alias præsumatur Superioris mandatum esse justum, non tamen in hoc speciali casu, ubi est conjunctum cum damno gravissimo.

Si Secundum, aliqui cum Innocent. *in e. dudum 22. de elect.* existimant teneri etiam hoc casu reum interroganti Judici respondere, saltem si agatur in causâ capitali de damno vitæ; quia, ut ajunt, præceptum humanum, quale est Judicis, non solet obligare cum tanto damno: quod confirmari potest argumento à minori ad majus; nemo enim de Jure cogi potest, ut veritatem dicat contra consanguineum suum. Ergo multo minus, ut veritatem dicat contra se ipsum.

Hæc sententia, cum satis probabilis sit, Confessarijs servire potest, quando reus persuaderi non potest, ut crimen ultro confiteatur. Cæterum contrariam judico probabiliorerit, quam etiam tenent S. Thomas, Cajetanus, & alij communiter. Ratio est, quia Reip. interest, ne crimina maneant impunita: & correlativa sunt Judicem interrogare legitime, & reum ad interrogationem respondere debere; alias exigua Judicis autoritas foret.

Procedit responsio etiam quoad Positiones negativas, quæ aliter probari nequeunt, nisi per confessionem Adversarij; licet enim ejusmodi Positiones ex rigore Juris Civilis admittendæ non sint, cum ex stricto Jure illud tantummodo poni possit, quod potest probari, potest tamen quandoque Judex suadente sic æquitate, si ita expedire videbitur, admittere, ut Positio hujusmodi negativa formetur ab Adversario e.g. *Pono verum, quòd Titius privilegium nullum habeat* &c. & tunc reus tenebitur respondere affirmative, vel negative: si affirmative, illud privilegium debebit ostendere; quia tunc reus quasi excipit contra Positionem Actoris, Igitur tenebitur hanc suam exceptionem probare: si negative, alia probatione opus non est, sed censetur reus confessus carentiam privilegij, & ulterius proceditur in Positionibus. Ita habetur *c. statimus 1. b. tit. in 6. & tradit ibidem Gloss. V. Judices, Vivian, in ration. Barbof. n. 1. Schamb, hic n. 7. & alij communiter.*

Quæritur 3. an & quando Judex reum de se confessum interrogare possit de socijs criminis? 7. regulariter, & ordinariè interrogare de socijs eum non potest, & si ita interrogatus de ijs aliquid affirmat, confessio illa eisdem non nocet. Ita Clar. *§. fin. q. 21. n. 3. 7. dictum Socij, Sabell.*



*S. confessio n. 53. Vivian. in c. cum Monasterium 1. h. tit. v. ad solum dictum, Laym. ibid. n. 1. Gonzal. n. 2. Barbof. n. 1. Vallenf. hic n. 2. Zœf. n. 1. Engl. n. 21. Pirh. n. 23. & hoc teste communis omnium sententia. Patet ex Juris utriusque textibus: Canonici quidem cas. fin. caus. 15. q. 3. c. veniens 10. de testib. c. cum Monasterium cit. Civili autem l. repeti posse 16. ff. de question. & l. fin. C. de accusation. Ratio est, tum quia confessus de se crimen in Judicio eo ipso fit infamis, & conf. à testimonio dicendo repellitur; tum verò maximè, quia ad id proni sunt mali homines, ut optent habere focios delictorum, & poenarum, & hoc vel ob odium, & inimicitias erga personam à se nominatam, quam volunt involvere eodem secum supplicio, vel ob spem, quam concipiunt impetraturos se veniam, si alios suos complices nominaverint.*

Dixi autem *regulariter*, & *ordinariè*; nam plures sunt casus, quibus interrogari criminofus de Socijs in Judicio potest. Et 1. quidem in criminibus, quæ in perturbationem, concussionem, & perniciem Reip. specialiter cedunt, ut crimen læsæ Majestatis, Hæresis, Veneficij, Latrocinij, Sacrilegij, Falsæ monetæ, Assassini. 2. In criminibus occultis, & difficilis probationis, in quibus plerumque de veritate aliter constare non potest, nisi per focios criminis; quia in his ob difficultatem probationis admittuntur etiam testes inhabiles, & leviora sufficiunt indicia. 3. In ijs, quæ sine socio non committuntur, cujusmodi sunt Sodomitæ, Stuprum, Adulterium, conspiratio in Principem &c. quia etiam hæc ferè occulta, & difficilis probationis sunt. 4. In illis, quæ non sunt merè præterita, sed futuro tempore committenda cum damno Reip. vel etiam privatæ personæ, ut si aliqui conjurârunt ad prodendam patriam, vel hominem occidendum. 5. In alijs quibuscunque criminibus, si socij aliunde jam sint diffamati, sintque alia contra eos probationes, & indicia. 6. Ubi consuetudo in quibusdam criminibus interrogandi potestatem indulget Judici. Sed Faria. *prax. crim. q. 43. n. 123.* huic Juris observantiam præfert: & meritò; quia ut *l. sed licet 12. ff. de Offic. Præs. dicitur*, non tam, quid Romæ factum, sed quid fieri debeat, spectandum, & observandum est. Videantur Clar. *v. dictum socij cit. Menoch. de arbitr. casu 474. à n. 18. Farin. q. 43. cit. à n. 56. Malcard. de Probation. concl. 1318. Laym. l. cit. n. 2. & seqq. Pirh. n. 24. & seqq. P. Wiest. n. 22. P. Reiffenstuel n. 36. & seqq. P. Schmier Process. Judic. c. 8. à n. 52. cum alijs supra cit.*

Quæritur 4. quæ requirantur, ut in relatis casibus Judex reum, de se confessum, Juridicè interrogare possit de Socijs criminis, & reus sic confessus, & nominans fo-

cios fidem faciat adversum illos? *R. 1.* requiritur, ut Judex non interroget in specie, vel individuo de certa persona e. g. an Tiritius sit particeps criminis, sed in genere solum, an reus habuerit Socios. Laym. *in c. 1. b. tit. n. 8. Pirh. hic n. 27. Wiest. n. 25. & alij apud istos.* Ratio est, quia si in specie de aliquo interrogaret, id esset potius suggerere, quàm inquirere. *Excipitur*, nisi jam aliunde de ejusmodi delicto suspecta esset persona aliqua; tunc enim posset Judex adversus illam instituire inquisitionem specialem; igitur poterit de ea etiam inquirere ex ipso reo. Vel nisi reus in Judicio jam confessus fuisset se cum socijs deliquisse; tunc enim, si nomina eorum reus non expressit, potest Judex ulterius petere, ut eos nominet; aliàs denuntiatio eorum in Judicio esset frustranea, & imperfecta.

2. Ut, qui focios criminis revelavit, hoc ipsum postea confirmet in tortura *l. ob carmen 21. S. si ea 2. ff. de testib.* Laym. *l. cit. n. 11. Pirh. n. 28.* Ratio est, quia reus ob confessionem delicti à se factam est infamis; infami autem non creditur sine tortura. Opus tamen erit, ut ejusmodi confessionem de socijs in tortura factam altera die in loco Judicij coram Notario, & testibus spontè, & sine tormentorum metu ratificet, prout ratificandam principalis delicti confessionem dicitur *infra n. 11.*

3. Ut Reus denuntiationem socij Juramento confirmet. Patet ex *ff. & C. de testib.* & docet Laym. *n. 9. Pirh. n. 29. Wiest. n. 26.* Ratio est, quia si in Civilibus testi non creditur, nisi jurato, multo magis hoc procedit in criminalibus, cum in his exigantur clariora indicia, & probationes. *Neque obstat*, quòd reo etiam non jurato credatur; hoc enim verum est solummodo, quatenus de se confitetur, non verò, quando deponit contra alium; tunc enim procedit universalis regula, quòd ei, qui in Judicio deponit, vel asserit aliquid in præjudicium tertij, fides habenda non sit, nisi jurato. *Excipe*, nisi de praxi Curia in aliquo loco denuntiatio sociorum à reo facta recipiatur etiam sine Juramento; tunc enim praxis illa servari potest, modò non tanta depositio- ni sine Juramento factæ adhibeatur fides, quanta adhiberetur, si confirmata Juramento foret.

4. Ut denuntians non habuerit inimicitias contra denuntiatum. Laym. *n. 13. Pirh. n. 30. Wiest. n. 24.* idque sumitur ex recepta doctrina, quòd inimicus capitalis etiam in criminibus exceptis non admittatur ad testificandum. Ergo neque ad accusandum, vel denuntiandum: & hoc ob periculum, ne vindictæ causâ denuntiet.

5. Ut denuntians in suis denuntiationibus contra focios criminis sit constans, & perseveret. Laym. *n. 12. Pirh. n. 30. Wiest.*



Wiest. n. 24. Hinc qui post præstitum Juramentum veritatis interrogatus de socijs criminis negavit se habuisse socios, postea verò in, vel extra torturam eosdem nominat, fidem non meretur; sicut enim prius se mentitum fatetur, ita etiam nunc mentiri potest.

6. Ut reus de se confessus, præter illum criminis defectum, non sit aliunde inhabilis ad testificandum, Laym. n. 14. Pirh. n. 31. Wiest. n. 24. Ratio est, quia quòd infamia ex crimine confessio non obstat reo, quin denunciare socios possit, est exceptio exorbitans à Jure communi; hujusmodi exceptiones autem non extendi, sed strictè interpretari debent l. quod verò 14. ff. de Legib. & Reg. 28. in 6.

7. Ut denuntiatio hujusmodi à reo facta suffulta sit alijs conjecturis, & indicijs criminis, ob quæ verisimilis fiat Laym. n. 15. Pirh. n. 31. Quare si reus tanquam sociam criminis denuntiet personam honestam, bonæ famæ, minimeque suspectam, denuntiatio ejus ipsi non oberit, nisi cum denuntiatione concurrant indicia, & præsumptiones, quæ famam, & existimationem bonam, de persona denunciata antea habitam, notabiliter superent. Potest tamen eo casu, si ex confessione Rei in denuntiatum redundavit infamia aliqua, eidem denuntiato injungi à Judice, ut se cum tribus alijs ejusdem ordinis purget, Barbof. in c. 1. h. tit. n. 1. cum alijs: de quo infra Lib. V. Tit. de purgat. Canon.

10. Queritur 5. quid universim requiratur, ut Confessio Judicialis effectum habeat, & præjudicet contenti? R. plura passim apud DD. inveniuntur requisita, quæ memoriæ juveni gratiâ in versiculos sequentes collecta sunt.

Major, spontè, sciens, contra se, est jus ubi, & hostis,  
Certum, usque, favor, jus, nec natura repugnet.

Igitur 1. requiritur, ut Confessio sit profecta à majore 25. annis. Ubi plurimum refert, an minor sit infans, an infante major, sed adhuc impubes, an jam pubertatem adeptus. Si infans, etiam Tutoris autoritate accedente, confessio ab eo facta habetur pro nulla; quia negotium, de quo interrogatur, non intelligit, & idcirco in Judicium vocari non potest §. sed quòd 10. Inst. de inutil. stipulat. l. quicumque 4. ff. de in jus vocand. Si infante major, & septennium jam egressus, sed nondum adeptus pubertatem sit, confessio ab eo facta sine tutoris autoritate non valet; quia sine hac pupillus se obligare non potest: facta autem cum autoritate Tutoris ipso Jure quidem subsistit, sed læso succurritur per beneficium restitutionis in integrum l. certum 6. §. in

pupillo 5. ff. h. tit. Si verò jam sit pubertatem adeptus, videndum, an habeat, vel non habeat Curatorem.

Si habet, confessio ejus non alter ipsi præjudicat, quàm si Curator intervenerit; tunc enim planè æquiparatur pupillo l. si Curatorem 9. C. de in integr. restit. minor. 25. ann. Si non habet Curatorem, confessio illi præjudicat, si facta sit extra Judicium, sed læsus in integrum restituitur §. in pupillo cit. at si in Judicio facta sit, regulariter nulla est; quia minor per se loquendo personam standi in Judicio non habet l. in rebus 2. C. qui legit. person. stand. in judic. &c. Excipitur, quando agitur de momentanea possessione, vel rebus spiritualibus, & quæ his annexa sunt; cum enim in hujusmodi causis stare in Judicio minor possit juxta dicta Tit. 1. n. 26. etiam super ijs facta ab eo confessio obtinebit, reservato tamen beneficio restitutionis in integrum, ut cum Abb. Lanfranc. &c. bene advertit P. Wiest. hic n. 3.

2. Ut fiat spontè, & liberè, non vi, & metu extorta sit can. si quandoque 1. caus. 15. q. 6. ubi etiam dicitur, quòd confessio, quæ ex necessitate fit, fidem non faciat. Et idem dicendum de eo, qui spe impunitatis sibi à Judice promissæ, vel alia fraude inductus delictum confitetur. Ratio est,

quia his casibus deficit præsumptio, in qua vis propriæ confessionis fundatur, cum sæpe ob vim, metum, aut etiam dolum quis testimonium contra seipsum perhibeat. Extenditur ad confessionem factam à reo in tormentis; nam ut ista aliquid probet adversus reum sic contentem, tria debent concurrere. 1. Ut constet de corpore delicti, i. e. quòd revera illud delictum, de quo aliquis arguitur, factum sit: unde si reus fateatur in tormentis, quòd alibi homicidium, vel furtum fecerit, in eo loco inquiri debet, an aliquando tale homicidium, aut furtum ab aliquo factum sit. 2. Ut contra torquendum gravia habeantur indicia. 3. Ut tortus, seu metu in conspectu tormentorum confessus persistat in confessione. Dicitur autem in confessione persistere, qui, quòd antea in tortura passus est, altera die ad bancum juris, ut vocant, seu locum publici Tribunalis ductus, & extra tormentorum conspectum positus confessionem repetat l. siquis 2. C. de custod. reor. Hæc nisi concurrant, confessio etiam in tormentis facta non præjudicat contenti l. 1. §. 17. 23. §. 27. ff. de question. & l. qui in carcerem 22. ff. quod met. caus. Abb. in c. fin. n. 11. §. 12. h. t. Wesenbec. ff. eod. n. 3. Marant. de Ordin. Judic. p. 6. membr. 10. art. 14. n. 15. Engl. hic n. 17. Pirh. n. 5. König n. 9. Wiest. n. 4.

3. Ut sciens confiteatur, h. e. ut contentio procedat ex certa scientia, & non ex errore. Ubi tamen distingui debet, utrum sit error Juris, an facti: item an culpa



pabiliter commissus, vel inculpabiliter, & si culpabiliter, an ex culpa lata, an verò ex levi, vel levissima. Si error crassus sit Juris clari, aut facti proprii recentis, regulariter confessio nocet confitenti, nec eam revocare licet; quia non præsuntur hæc ignorari. At si inculpabilis sit error, præcipue facti, confessio usque ad sententiam revocari potest, dummodo ejusmodi error facti ante latam sententiam ostendi, & probari possit. Hiltrop. *Process. Judic. p. 3. tit. 17. §. que requirantur* Sc. n. 20. Wefenbec. ff. b. t. n. 3. Vivian. in c. 3. eod. Valenti. hic n. 9. Zœf. n. 4. Pirh. n. 7. Engln. 16. König n. 7. Sannig. c. 2. n. 2. Wiest. n. 5. & conlat ex c. fin. h. t. l. non fatetur 2. ff. eod. l. error s. & l. seq. ff. de J. & F. J. l. quamvis 1. & l. error. 7. C. eod. Idem dicendum, si facta sit confessio, non ex proposito, sed calore iracundiæ, & universim de quacunque confessione falsa; nam ejusmodi confessio non valet, nec præjudicium confitenti affert. Marant. de *Ord. Jud. p. 6. tit. de confession. n. 10.* Hiltrop. n. 23. Wefenbec. n. 7. Pirh. n. 9.

4. Ut confiteatur contra seipsum; nam confessio unius criminosi in Judicio adversus alios socios criminis facta, sive sponte facta illa sit, sive ad interrogatorium Judicis, non admittitur, nec probat adversus illos, nisi laborent infamiâ de hoc, vel simili crimine, aut adsint indicia aliqua, vel aliud genus probationis: imò regulariter & ordinariè prohibitum est utroque Jure, ne reus in Judicio interrogetur de socijs criminis, prout dictum est supra n. 5.

5. Ut confessio fiat, ubi Jus est, i. e. coram Judice competente sedente pro Tribunali. Dixi 1. coram Judice. Hinc confessio Judicialis non est, quæ fit coram Arbitratore; est autem Judicialis, quæ fit coram vero Arbitro, sive deinde arbiter Juris ille sit, sive compromissarius. Marant. *tit. de confess. cit. n. 31.* Mascard. de *prob. concl. 348. n. 14. § 15.* Haun. *tom. 5. tr. 3. n. 508.* Pirh. *hic n. 2.* Wiest. n. 8. & ratio est, quia arbitrator non cognoscit ut Judex, ita autem cognoscit verus arbiter; & hinc *l. commissum 1. ff. de recept. qui arb. dicitur*, quòd arbitria ad similitudinem Judiciorum redigantur. Similiter Confessio Judicialis non est, quæ fit coram Notario extra Judicium, etiam præsentem altera parte, si Judex non adsit Marant. n. 30. Hiltrop. à n. 4. Barbos. in c. fin. h. t. n. 8. Pirh. *hic n. 2.* & ratio est, quia Notarius non habet potestatem recipiendi tales actus Judiciales sine mandato, & commissione Judicis. Quodsi tamen coram Notario causæ apud Protocolium confessio facta sit, Judicialis etiam dici, ut Hiltrop. n. 5. observat, ex recepta consuetudine poterit, additque rationem; quia plerumque actus legitimi, qui

in Judicio coram Judice expediuntur, etiam coram Notario hodie expediri possunt, & eandem vim habent.

Dixi 2. coram Judice competente; nam sicut sententia irrita est, quæ fertur à Judice incompetente, ita & confessio coram eodem facta c. at si Clerici 4. princ. de *Judic.* Hiltrop. S. cit. n. 10. Wefenbec. ff. b. tit. n. 5. Perez. C. eod. n. 6. Engln. 14. König n. 17. Wiest. n. 3. Habebit igitur hujusmodi confessio, coram Judice incompetente facta, vim tantum extrajudicialis confessionis, quæ non plene probat.

Dixi 3. coram Judice sedente pro Tribunali; quia ea communiter Judicialis dicitur, quæ fit in Jure l. un. C. b. tit. jus verò dicitur ibi esse, ubi judicandi gratiâ Judex sedet l. jus 11. ff. de J. & F. Excipitur, si causâ non requirat plenam cognitionem; nam in Summario Judicio valet confessio extra Tribunal facta: imò usu receptum est teste Hiltrop. n. 4. cit. quòd Judex non solum in preparatorijs, sed etiam in decisorijs possit extra Judicium, & domi suæ partium responsiones recipere, licet sententiam ferre non possit, nisi in loco Judicij.

6. Ut confessio fiat præsentem Adversario; hic enim *Hofstis* nomine in verbis n. 10. allatis intelligitur. Sufficit autem, si adsit confessioni hujus Procurator, habens ad hoc speciale mandatum, ut habetur l. certum 6. §. siquis 3. ff. b. tit. ubi ratio indicatur, quòd non solet quis absenti condemnari. Procedit autem hoc solum de Jure Civili; nam de aequitate Canonica parte absente facta confessio valet, & plenam fidem meretur. Abb. in c. fin. h. t. n. 16. Honor. *hic n. 10.* Engln. n. 12. König n. 20. Wiest. n. 9. Ratio est, quia in confessione de Jure Canonico consideratur deliberatio & veritas, quarum neutram præsentia Adversarij auget, vel absentia ejusdem minuit. Imò etiam de Jure Civili confessio absente Adversario facta valet, & plenam fidem meretur in duplici casu. Unus est, quando ejusmodi confessio, parte absente facta, à Judice, vel etiam alio nomine absentis in judicio acceptatur, & postea ab absente ratificatur. Perez. C. b. tit. n. 7. Zœf. ff. eod. n. 4. Wiest. *hic n. 9.* Schambog. n. 2. Alter, si relata sit in Protocollo, vel aliam scripturam, quæ postea Adversario communicetur; cum enim Scriptura semper loquatur, non tantum Judicij, sed etiam parti adversæ confessus esse censetur, ac proinde confessio hæc plenam faciet fidem, ut advertit Abb. in c. fin. cit. n. 15.

7. Ut sit de Re certa quoad substantiam, & quantitatem l. certum 6. pr. ff. b. tit. Gloss. *ibid. v. certum*, Hiltrop. l. cit. n. 11. Perez. C. b. tit. n. 8. Wefenbec. ff. eod. n. 4. Brunnem. in l. certum cit. n. 1. Zœf. *hic n. 3.* Sannig. c. 2. n. 2. Wiest. n. 6. Ratio est, quia confessio parit sententiam. Ergo sicut hæc certa debet esse, ita & confessio.



Confessio incerta igitur confitenti non præjudicat : interim tamen, si ita suadet ratio ; & de substantia ex confessione liqueat, confessus urgeri potest, ut certum confiteatur *l. certum cit. §. si quis 2. & DD. citt.*

15 8. Ut fiat in *Judicio* ; hoc enim *Litis* nomine significatur. In hoc distinguitur *Judicialis Confessio* ab *Extrajudiciali*,

9. Ut non sit facta *in favorem confitentis* ; nam in favorem confitentis facta regulariter loquendo non habet vim probationis *l. rationes 6. C. de probat.* quia sicut nemo *Judex*, ita nec testis potest esse in propria causa ob fidem suspectam.

10. Ut sit de re, quæ neque *rerum nature*, neque *Juri* adversatur : qualis esset confessio, quæ quis fatetur Titium esse suum filium, qui tamen majoris est ætatis, quàm sit ipsemet, vel si quis confiteatur se occidisse hominem, qui adhuc vivit *l. confessio-nibus 13. ff. de interrog. in Jur. fac. l. inde 23. §. fin. ff. ad Leg. Aquil.* quia confessio debet esse verisimilis. Inde fit, quòd, ubi crimen relinquit vestigium, nunquam procedatur ad executionem, utcunque reus confessus illud, vel de eo etiam convictus sit, nisi, ut *suprà n. 11.* monui, priùs de corpore delicti constet : & hinc quando aliquis fatetur de homicidio, priùs inquiritur de cadavere, vel si furtum quis confiteatur, indagatur, an revera tale furtum in tali loco, sicut asseritur, commissum sit &c.

Addunt aliqui 11. cum *Wesemb. ff. h. tit. n. 5.* & *Perez C. eod. n. 8.* ut fiat cum *expressione cause*, quòd aliàs facta non videatur ex certa scientia, sed potius ex abrupto. At verius expressio causæ non exigitur. *Abb. in c. fin. cit. n. 14.* quia facta *Judice* præfente, deliberato animo, & non nisi de re certò cognita facta præsumitur.

16 Quæritur 6. an *Confessio Judicialis* requirat sententiam definitivam *Judicis*, quæ ferri debeat contra confessum in *Judicio*? Celebrerrima hæc quæstio est apud *DD.* nec tamen hodie dum ita discussa adhuc, ut quænam opinio verior sit, satis liqueat.

*Prima sententia* negat requiri sententiam : quod probat varijs *Juris Civilis* textibus ; nam *r.* passim *Leges* dicunt confessum in jure haberi pro condemnato *l. confessus 1. ff. h. tit. l. un. C. eod. l. sicut 4. C. de repud. vel abst. hered.* 2. *l. post rem judicatam 56. ff. de re judic.* confessio æquiparatur rei judicatæ ; & *l. certum 6. §. fin. ff. h. tit.* dicitur, quòd quadrimestre tempus, quod datur judicatis, statim currat à confessione. 3. *l. proinde 25. in fin. ff. ad Leg. Aquil.* dicitur, quòd *nulle sint partes judicandi in consitentes.*

*Alterà sententia*, & longè plurium affirmat definitivam opus esse, & probat hoc. 1. Ex *l. Julianus 3. ff. h. tit.* ubi dicitur confessum condemnandum esse, quia pro judicato habetur. 2. Ex *l. de qua re 74. ff. de*

*Judic.* ubi habetur, quòd *Judex*, qui cognovit de causa, debeat quoque super illa pronuntiare. 3. Ex *l. fin. C. de execut. rei judic.* ubi confessi, & convicti per probationes æquiparantur, & statuitur, in utroque, si condemnati fuerint, executionem debere fieri. 4. Ex *c. cum super 2. b. tit.* ubi qui se *Simoniacum* in *Judicio* confessus est, jubetur per sententiam definitivam ab omni *Beneficio*, & *Officio* deponi.

*Tertia*, & probabilior utitur distinctio. 17 ne inter causas *Criminales*, & *Civiles*. Quoad causas *Criminales* facile omnes tertie istius sententiæ *Doctores* conveniunt, quòd contra confessum requiratur sententia definitiva, sive præcedat confessio contestationem litis, sive sequatur: quod satis patet ex *c. cum super cit. & l. si confessus 5. ff. de custod. & exhib. reor.* Ratio est est 1. quia in criminalibus, nisi alia criminis indicia adsint, confessus pro condemnato non habetur, tum ob maximum periculum vitæ, tum ob incertitudinem pœnæ irrogandæ. 2. Quia *Rei* aliquando non tam facinorum conscientiam, quàm mortis cupidine, tædiòque vitæ, aut carceris, metùque tormentorum contra se confitentur. 3. Quia ad pœnam, exceptis *Censuris*, & *Irregularitatibus*, & pœnâ in incestuosum conjugem lata, ante sententiam non datur obligatio *arg. c. cum secundum 19. de Heret. in 6.* Ita *Perez C. h. tit. n. 3.* *Brunnem. ibid. n. 7.* *Zoel. ff. eod. n. 10.* *Honor. hic n. 35.* *Schambog. n. 10.* *Wiesl. n. 12.*

Quoad *Causas Civiles* non conveniunt ; *DD.* nam aliqui cum *Marant. tit. de confess. n. 26.* indistinctè negant in his causis sententiã opus esse, ex ratione, quia in illis non vertitur tantum præjudicium, quantum in criminalibus : ut proinde in his confessus haberi pro judicato possit juxta *l. citt.* pro negativa sententia, & tempus, quod ei datura est jure, ad executionem solum, sive solutionem assignatum esse sit judicandum, prout innuit *l. si debitori 21. ff. de Judic.* Sed probabilius loquuntur, qui distinguunt inter confessionem factam ante contestationem litis, & inter eam, quæ facta est post contestationem litis. Si facta sit ante contestationem litis, concedendum non requiri sententiam definitivam, sed sufficere præceptum *Judicis* de solvendo juxta *l. si debitori cit. & l. un. C. h. tit.* Si verò post contestationem, dicendum, quòd adversus eum, qui post litem contestatam primum confessus est, requiratur sententia condemnatoria. Ita *Abb. in c. fin. h. tit. n. 18.* *Perez C. eod. n. 2.* *Brunnem. ibid. n. 6.* *P. Wiesl. hic n. 13.* propter expressos textus *c. præterea 10. de transact.* ibi : *Ex confessione contra eos sententia procedere debeat. l. Julianus 3. & l. qui Stichum 5. ff. hic*, quibus confessum condemnandum disertè asseritur. Idem persuadet ratio ; quia *Judicium* semel



ceptum sententiâ terminandum est ; & Judex, de qua causa cognovit, super eadem pronuntiare debet *l. de quare 74. cit.*

19 Neque contrarium probant Argumenta præcedentium duarum Opinionum. *Secundæ* argumenta nostræ serviunt ; neque enim ante contestationem litis Judicium datur. *Ad 1. argumentum primæ sententiæ* dico, confessum pro judicato, & condemnato propriè non haberi ; ut cum alijs notat Abb. *n. 18. cit.* & indicat *l. confessus cit.* ubi additur *Quodammodo*, quod impro-

prietatem denotat. *Conf. ex ratione* ; quia nemo seipsum aut judicare, aut condemnare potest. *Ad 2.* id intelligendum sub data distinctione inrer confessionem, quæ facta est ante, & post contestationem litis. *Ad 3.* cum dicitur, quòd in confitentes nullæ sint partes Judicis, subintelligendum est, *Nisi in condemnando*, i. e. nisi ut confitentem condemnet ; quia confessione hac legitimè facta, Judex ulteriori inquisitione, & cognitione opus non habet. *Perez n. 2. cit.*

## §. II.

## De Effectibus Confessionis, &amp; ejus Revocatione.

## SUMMARIUM.

20. 21. 22. 23. 24. Effectus Confessionis Judicialis.  
25. 26. 27. 28. Effectus Extrajudicialis Confessionis.  
29. 30. 31. 32. Confessionis Sacramentalis.  
33. 34. Qualificata.  
35. 36. 37. 38. Facta in testamento, vel in articulo mortis.  
39. 40. 41. Depositæ contra Socios criminis.

42. Facta à Procuratore.  
43. Antecessore, & Pralato Ecclesiæ.  
44. 45. Tactæ nolentis respondere ad Propositiones Adversarij.  
46. 47. Confitentis crimen in Judicio incidenter.  
48. 49. 50. 51. Quando possit revocari confessio in Judicio facta ?

**Q**Uæritur 1. qui sint Effectus Confessionis Judicialis ? *ry.* varij afferuntur, ut videre est apud Marant. *de Ord. Jud. p. 6. tit. de confess.* à n. 21. Hiltrop. *p. 3. tit. 17. §. de effect. Judic. confess.* Pirh. *hic n. 19. König à n. 24. Wiest. n. 11.*

Et 1. quidem est plenissima probatio, ita ut superet, & infringat omnes alias probationes factas per testes, & instrumenta in favorem confitentis contrarium *c. diligenti 7. de præscript. c. dilecti 2. de Capell. Monach. l. confessus 1. ff. & l. un. C. h. t. Rota Rom. in Nov. p. 3. decis. 758. n. 2. & decis. 191. n. 12. p. 4. tom. 1. decis. 157. fin.* Et propterea non est mirum, quòd per eam ab onere probandi relevetur actor, cum nulla sit probatio melior, quàm proprii oris confessio : ut proinde utilissimè admittatur in Judicio, cum per eam veritas controversiæ sine longioribus ambagibus eruatur. *Excipitur*, nisi quòd aliquis confitetur, tale sit, ut simul ceat in præjudicium Reip. ut si dominus Jucci contra aliquem inquirenti de furto dicent, se non fuisse invitum ; cum enim Reip. interfit crimina non manere impunita, & ritioni ejusmodi non creditur in Judicio, nisi is, qui abstulit, fuerit amicus, vel res abla exigui pretij, aut alia indicia pro eo corurrant. Hoc tamen in eo casu operatur hujusmodi Confessio, ut si contra reum atur ex meris præsumptionibus, ipsa maximè præsumptionem pro eodem faciat, ita, ut tali casu reus non possit tor-

queri, licet aliàs adessent sufficientia indicia ad torturam, ut post Bartol. Alex. & alios docet König *hic n. 10.* & ratio est, quia præsumptio contra reum per contrariam præsumptionem ex confessione partis laxa eliditur.

2. Inducit notorium per *c. vestra 7. de cohabit. Cleric. & mulier.* Hinc vitam appellationi præcludit *c. pervenit 13. & c. seq. de appell. l. observare 2. C. quor. appell. non recip.* Estque hoc verum, etsi confessus quis sit spontè, ac voce propria, licet convictus non sit : neque refert, an causa, de qua agitur, sit civilis, an criminalis, ut notant Abb. *in c. cum speciali 6 1. §. porro n. 5. de Appellat. Covar. præf. qq. c. 23. n. 5. concl. 2.* Hiltrop. *§. cit. n. 12. Pirh. hic n. 19. Schamb. n. 9.* *Excipitur* casus, quo reus confessionem in Judicio factam ex causa revocavit ; tunc enim nihil obstat appellationi.

3. Tollit præsumptionem Juris, & 22 de Jure, ita ut etiam si aliæ probationes contra hujusmodi præsumptionem non admittantur, admittatur tamen contra illam probatio in contrarium per confessionem partis, Marant. *p. 6. tit. de confess. n. 22. Mascard. concl. 344. n. 3. Hiltrop. l. cit. n. 6. Pirh. hic n. 19. Schamb. n. 8. König n. 26. Wiest. n. 11.* & ratio est, quia propria confessio fortissimam pro se præsumptionem veritatis habet ; cum enim nemo præsumatur veritatem fateri contra seipsum, nisi coactus, si fateatur, id, quod fateatur, merito haberi pro vero debet.

4. Locum invenit etiam post conclusio-



sionem in causa. Mynsing. cent. 1. ob-  
servat. 34. fin. Marant. n. 23. Hiltrop. n. 7.  
König n. 27. cum alijs supra allegatis. Ra-  
tio est, quia licet renuntiatum sit probatio-  
nibus, non intelligitur tamen renuntiatum  
etiam confessionibus per textum c. Joannes  
10. de fid. Instrum. Extendit istud Hiltrop. l.  
cit. & ait procedere etiam post latam sen-  
tentiam; semper enim debet veritati locus  
esse.

5. Sanat omnes defectus pro-  
cessus, adeo, ut, etsi Processus  
ob Juris ordinem non servatum, vel alium  
quemcunque defectum nullus sit, &  
propterea sententia ex eo ferri non possit,  
confessio tamen, modo coram competente  
Judice, & cum alijs supra requisitis fiat, vali-  
da sit, & sententia ferri ex ea possit. Ma-  
scard. concl. 344. cit. n. 4. Hiltrop. n. 9. Ma-  
rant. n. 24. König n. 19. cum reliquis supra:  
& ratio est, quia ad valorem confessionis  
24 processus non requiritur.

6. Per Confessionem res judicata  
retractatur. Hiltrop. n. 13. & apud hunc cit.  
Et hoc iterum peculiare habet Confessio præ  
alijs probationibus; per has enim retracta-  
ri sententia, quæ in rem judicatam transijt,  
non potest; at si pars victrix ultro constrea-  
tur sententiam esse injustam, Judex illam non  
exequetur. 7. Equiparatur rei judica-  
tæ: quod intelligendum juxta dicta è n. 17.  
sc. ut requiratur sententia in causis crimina-  
libus, & etiam Civilibus, quando confessio  
25 facta est post contestationem litis.

Quæritur 2. quem Effectum opere-  
tur Confessio Extrajudicialis? n. hu-  
jus, quod non ita deliberata esse præsuma-  
tur, vis minor, quam Confessionis Judicialis,  
nec semper eadem est, sed pro ipsius, &  
causarum, quas concernit, ac circumstantia-  
rum, in quibus fit, varietate varia. Com-  
muniter distinguunt DD. inter eam, quæ fit  
in Causis Civilibus, & eam, quæ fit in cau-  
sis Criminalibus.

Si Causa sit Civilis, & pro hac Con-  
fessio Extrajudicialis producatur in Judicio,  
distinguendum, an ejusmodi Confessio ten-  
dat ad liberandum debitorem, quæ sc. con-  
fitemur nobis satisfactum esse pro debito,  
& liberamus ab isto Adversario, an ve-  
rò tendat ad obligandum confidentem.

Si primum, e. g. quando dico: Con-  
fiteor te mihi non teneri, Confessio talis ope-  
ratur, & probat plenè effectum liberatio-  
nis, modo sit ab Adversario acceptata, ut  
colligitur ex l. tale pactum 40. ff. de pact. &  
docet Hiltrop. p. 3. tit. 17. §. de extrajud.  
confess. n. 2. Ratio est, quia confessio liber-  
atoris facta ab eo, qui remittere potest de-  
bitum, continet vim pacti, & inducit liber-  
ationem debiti.

26 Si secundum, interdum plenè, inter-  
dum semiplenè, interdum nihil omnino pro-  
bat. Plenè probat, si sit discreta, h. e.

adjecta causâ specialiter expressâ, ut Confi-  
teor me debere 100. Titio ex causa accepti mu-  
tui, sique insuper aut in scriptis, aut viva qui-  
dem voce, sed præsentem tamen Adver-  
sario facta, ac per duos testes integræ  
fidei probata fuerit, ut habetur c. si cautio  
14. de fid. Instrum. l. generaliter 13. C. de non  
num. pecun. Excipe, nisi ex circum-  
stantijs appareat contrarium, ut si aliquid  
in calore iracundiæ dictum est, vel si eviden-  
tissimis rationibus in scriptis ostendatur con-  
trarium &c.

Semiplenè probat, si discreta quidem  
sit, sed fiat absente Adversario, vel si præ-  
sente quidem Adversario fiat, sed discreta  
non sit, & causam non exprimat. Quod  
tamen intelligendum est regulariter; nam  
aliquando ad plenam probationem sufficit  
Confessio extrajudicialis etiam absente Ad-  
versario facta, uti est 1. si confessio ejusmodi  
sit recepta in scriptis, vel instrumento l. gene-  
raliter cit. 2. Si fuerit jurata; nam ratione  
Juramenti appositi censetur deliberatè facta  
& ex certa scientia. 3. Si fuerit repetita  
post intervallum; quia repetitio supponit de-  
liberationem. 4. Si facta fuerit pro  
causa pia ob hujus favorem, Pirh. hic n. 37.  
& 38. aliisque apud ipsum.

Nihil omnino probat, si sit indi-  
creta, & fiat absente Adversario, Ex-  
cipiuntur quatuor supra relati casus, in qui-  
bus Confessio etiam indiscreta aliquando  
plenè, aliquando semiplenè probat, prout se-  
major, vel minor deliberatio in confiten-  
ter præsumi potest. Videantur Ma-  
scard. concl. 345. & 347. Marant. tit. de con-  
fess. n. 2. & seqq. Hiltrop. §. cit. n. 2. Welen-  
bec. ff. h. tit. n. 10. Perez C. ibid. n. 17. & 18.  
Barb. in c. 3. eod. n. 3. & 10. Sabell. §. con-  
fessio n. 3. Haun. tom. 5. tr. 3. n. 56. Vallens.  
hic n. 6. & 7. Pirh. n. 36. König n. 29. Sannig  
c. 3. n. 2. Schambog. n. 17. Wiesel. n. 34.  
& 35.

Ratio hujus adeo diversæ efficaciæ  
est, quia quando fit sine expressione causæ,  
& absente Adversario, præsumitur proces-  
sisse ex præcipitancia, & indeliberatione:  
si cum expressione causæ, vel absente Ad-  
versario, aut vicissim, aliquali deliberatio-  
ne facta præsumitur, adeo ut ætiori profe  
habenti talem Confessionem de ferri Jura-  
mentum suppletorium possit: a si cum ex-  
pressione causæ, & præsentem Adversario,  
vel in scripto facta sit, de deliberatione non  
potest esse dubium. Et hæc revocari  
non potest, nisi error probetur ratio est,  
quia tolerari non debet, ut qui præsentem Ad-  
versario semel tam deliberatè licet extra  
Judicium, aliquid est confessus postea in  
Judicio neget, vel alias probationes po-  
stulet.

In causis Criminalibus distinguendum  
est, an Confessio sit contra ipm confi-  
tentem, an verò contra alium terum. Si  
con-



contra ipsum confitentem facta sit, non quidem vim probationis plenæ, & ad confessi condemnationem sufficientis habet, aliquando tamen indicium facit sufficiens ad torturam, prout sumitur ex c. olim 25. de rescript. & notant Marant. tit. de confess. n. 3. Hiltrop. §. cit. n. 3. Sabell. §. confessio n. 4. Wefenbec. ff. h. tit. n. 10. Honor. hic n. 10. Pirh. n. 40. König n. 31. Wiest. n. 32. Opus tamen est, ut talis confessio non calore iracundiæ, aut aliàs temere effusa, sed verisimilis, & postea in Judicio legitime probata sit.

Quodsi autem Confessio facta sit contra alium tertium, ne quidem indicium facit ad torturam sufficiens, imò aliquando vix sufficit ad Purgationem Canonicam inducendam, sed solum inducit præsumptionem aliquam, quæ ad torturam, si sola adsit, non sufficit, ut l. cit. advertunt Hiltrop. Wefenbec. Pirh.

Queritur 3. qualem effectum habeat Confessio Sacramentalis, si in Judicio producatur. n. nullum omnino; quia sit DEO, non homini, & conf. extra commercium humanum est. Ita TT. & Canonista Orthodoxi omnes. Proceditque hoc non tantum de Sacerdote, apud quem deposita illa est, sed etiam de ijs, qui cum propius Sacro Tribunali adsistent, peccata confitentis, ab hoc clariori voce Confessario enarrata, auscultarunt; quia hi non minùs, ac Confessarius, ad silentium obligantur, & universalis est regula, scientiam, quæ ex confessione quomodocunque obtinetur, non esse applicabilem ad ullum usum humanum.

Dubium est, an processus Inquisitionis, in Reum apprehensum formatus, adjuvari possit per schedam, in qua apprehensus vitæ suæ tortus peccata descripsit, si hæc in Judicio producatur? Ratio dubitandi est 1. quia, ut Navar. can. Sacerdos 2. de Pœnit. dist. 6. n. 8. Henriq. Summ. l. 6. c. 20. n. 2. Connek de Sacram. Pœnit. D. 9. dub. 3. fin. & alij magni nominis DD, volunt, ejusmodi schedam secretum solummodo naturale inducit, sicut secretum naturale contrahit, qui peccata alterius, dum ad confessionem se præparat, ex ore ejus alta voce eadem recolentis audiat. 2. Quia hujusmodi schedam non est Confessio Sacramentalis, sed præparatam duntaxat illius materiam continet, ut adeo in illa ratio secreti cesset, quo ipsa confessio arcana servari debet. 3. Quia schedam hujusmodi alio fine, quàm Confessionis Sacramentalis peragenda, conferibi potuit, e. g. ad impediendum, tricis implicandum, & calumnijs obnoxium reddendum Processum: quo sine conscriptam suppressere, & flagitia ibi descripta celare non aliter obligatur inventor, quàm quivis alius, cui illa ex ipsiusmet Rei, vel complicum relatione innotuerunt.

31 Sed dicendum, ejusmodi scriptam

peccatorum relationem non posse ulli usui esse in Judicio adversus scribentem, sed ab actis Judicialibus omnino rejiciendam. Ita Riccius decis. 172. p. 1. Pax Jordan. l. 14. tit. 16. n. 120. Sabell. §. confessio n. 6. P. Wiest. hic n. 41. P. Reiffenstuel. ibid. n. 136. & novissimè Clariss. P. Schmier Process. Judic. c. 8. n. 188. & omnes illi, qui cum Rodriq. Summ. tom. c. 15. n. 4. Tolet. l. 2. de restit. c. 4. n. 461. Malder. tr. de Sigill. conf. c. 13. Fagund. de 2. præc. Eccl. l. 6. c. 5. n. 16. Dian. p. 3. tit. 5. resol. 102. Stoz. Trib. pœn. l. 2. q. 5. n. 215. docent talis schedæ inventorem ad celanda peccata ibi descripta obligari sub Sigillo Sacramentali.

Ratio est 1. quia ex omnium sententia hujusmodi schedam inventa inducit Sigillum vel Sacramentale, vel saltem naturale tantum, ut quemadmodum Laym. l. 5. tr. 6. c. 14. n. 19. ex Navarri, & sectatorum illius mente loquitur, in casu solum maximæ necessitatis, v. g. ad Remp. vel vitam innocentis, cujus saluti aliter non posse t. confuli, liberandum illud revelare sit. licitum, & tum præcisè eatenus, quatenus id præcisè necessarium est ad impediendum majus malum: unde dicunt, nec Judicem, nec Prælatum ex sola tali notitia ad inquisitionem, vel punitionem posse procedere, & si processus sit institutus, eum rescindendum, & pro infecto habendum. 2. In praxi id semper in materia Secreti ex confessione hausli tenendum est, quo magis consultitur reverentiæ Sacramenti, illudque minùs odiosum redditur. Atqui negando ejusmodi schedæ usum in Judicio magis consultitur reverentiæ Sacramenti, prout est indubitatum, illudque minùs odiosum redditur, quàm si notitiæ inde hausæ usus esset in Judicio; homines enim eum usum interpretari possent pro violatione Sigilli.

Ergo &c. 3. Non minùs hujusmodi schedam refertur ex fine suo ad Sacramentum Pœnitentiæ, quàm ad illud referatur scriptura, quam Superiori subditus offert, & in ea petit facultatem absolventi à reservatis. Atqui hæc ex mente Card. de Lug. de Pœnit. D. 23. n. 49. legentem sub Sigillo Confessionis obligat. Ergo sub eodem obligabit etiam hujusmodi schedam, in qua eo fine peccata confitentis exarata sunt, ut illa melius exponantur Sacerdoti ad obtinendam ab eo absolutionem Sacramentalem.

Neque urgent Argumenta opposita. Ad 1. cum valde multi gravissimi DD. velint, quòd notitia ex tali schedam accepta cadat sub Sigillum Sacramentale, saltem periculum est, ne hoc reverà violetur: quod majus malum est, quàm illud sit, quòd aliquando aliquis reverà nocens pœnam jure debitam non consequatur. Deinde est, Sigillum tantum naturale inducat, tale tamen inducit, ut illius usus vel nullus, ut vult Rodriq. l. cit. vel in casu solum rarissimi



mo fit, ut cum Laym. *l. cit.* contendunt alij. *Ad 2.* negatur, quòd talis scheda remotam solum materiam Confessionis contineat; sed est quædam peccatorum manifestatio unice relata ad sui accusationem, & absolutionem Sacramentalem; unde utanquam inchoata quædam confessio eodem Sigillo esse munita debet, quo ipsa Confessio perfecta, ut sic Sacramentum Confessionis minus odiosum reddatur. *Ad 3.* etsi alio fine scribi scheda hujusmodi possit, intuitu tamen Confessionis conscripta esse, quando de contrario non constat, pro certo haberi debet, cum ex millenis vix una, imò nec una quidem alio fine conscribatur.

33 *Quæritur 4.* an Confessio Qualificata noceat confitenti, ita, ut ab Adversario, vel Judice acceptari possit quoad substantiam, reijci quoad qualitatem? *¶* *¶* distinguendo: vel enim qualitati annexæ confessioni obstat aliqua præsumptio Juris, vel non. *Si prius*, confessio quoad substantiam admitti potest, quoad qualitatem reijci, ut si reus confiteatur se occidisse, sed ad defensionem propriam, vel si dicat se contumeliosa verba sparsisse in aliquem, sed non animo injuriandi; nam huic, si qualitatem annexam non prober, non creditur, sed statur confessione deposita quoad substantiam, rejecta qualitate, eo quòd contra hanc militet præsumptio Juris, quæ est, ut quilibet occidens, vel dicens verba contumeliosa censeatur habere animum offendendi *l. frater 1. C. ad Leg. Cornel. de Sicar. & l. si non convitij 5. C. de injur.* quare, ut elidatur hæc præsumptio, probatione est opus; alias ita confessus damnabitur à Judice, non tamen ad pœnam ordinariam e. g. capitis pro homicidio sic confessio, sed aliam mitiorem. *Abb. in c. 15. de prescript. n. 32. Menoch. de arbit. cas. 93. n. 33. Hiltrop. p. 3. tit. 17. §. de effect. confess. Judic. n. 23. Haun. tom. 5. tr. 3. n. 514. König hic n. 32. Reiffenst. n. 126. & alij ab his cit.* Ratio est, quia ad supplicium capitis requiruntur manifestissimæ probationes, qualis non est confessio pro parte acceptata, & pro parte rejecta.

34 *Si posterius fiat*, & contra ejusmodi qualitatem confessioni annexam nulla sit præsumptio Juris, plurimum refert, an qualitas talis sit à negotio principali penitus separata, ac cum novo facto conjuncta, vel non. *Si hoc secundum*, ut si reus confiteatur se promississe sub conditione, vel se recepisse 100. quæ sibi debeantur ex causa mutui, eo casu confessio debet acceptari tota, vel tota repudiari; quia qualitas, & conditio non separabilis à negotio principali censeatur esse pars ejus. *Si primum*, ut si reus dicat: *Verum est, quòd mutuos dedisti mihi 100. sed pactus es de non petendo*: in eo casu confessio acceptari potest quoad debitum de mutuo, reijci quoad pactum de non petendo, donec probeatur; quia secundum priorem par-

tem potest vera esse, falsa secundum posteriorem, *Abb. in c. bona 4. de postul. Prælat. n. 29. Bartol. in l. Aurelius 28. §. idem que sijn ff. de liber. legat. Marant. tit. de Confess. n. 27. Boërius decis. 243. n. 3. Perez. C. b. tit. n. 15. Sabell. Summ. §. confessio n. 61. Honor. hic n. 30. Pirh. n. 14. König n. 32. in fin. Reiffenstuel n. 114. & novissime Clariss. P. Schmier Proc. Jud. c. 2. n. 101.*

*Quæritur 5.* quid operetur confessio, facta in testamento, vel alia ultima voluntate? *¶* cum distinctione: Vel enim testamentum tale est revocatum, vel non est revocatum. *Si primum*, revocato testamento, censetur etiam confessio revocata, nisi acceptata fuerit à parte presente, vel Notario pro ea stipulante; nam tunc transit in contractum, nec potest revocari, *Sabell. §. confessio n. 18. & apud hunc cit. Si secundum*, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an hujusmodi Confessio tendat in præjudicium tertij, an verò in nullius cedat præjudicium, præterquam confessi. *Si prius*, adversus illum etiam à testatore in extremis constituto facta non probat *arg. l. verba 6. C. de testament. l. si quis 3. §. si quis moriens 1. ff. de S. C. Silanian. & Novell. 48. c. 1. §. 1.* Neque obstat, quòd eo tempore nemo credatur temere aliquid effutire; nam universaliter nulli creditur in præjudicium tertij. *Haun. tom. 5. tr. 3. n. 517. Zœf. ff. hic n. 22. Pirh. n. 39. König n. 32.* Et hinc etsi pater in testamento confessus sit filium commississe ingratitude, & propterea se eum exhæredasse, non tamen eo casu credendum est assertioni patris, sed hæres tenetur probare causam allegatam pro exhæredatione; quia præsumptio est pro filio. Item etsi mater in vitæ exitu dicat filium ex adulterio susceptum esse, hac tamen confessione non obstante, tenetur pater filium illum tanquam suum agnoscere, & alere, nec ideo à successione, aut alijs Juribus, quo cæteri filij gaudent, excludi potest.

*Si posterius contingat*, satis convenit inter DD. ejusmodi Confessionem, si in testamento, vel à constituto in articulo mortis coram duobus testibus legitimis facta, & horum attestationibus probata sit, in præjudicium confessi plenè probare in Judicio casu, quo illa ad liberationem tendit. *Zœf. ff. h. tit. n. 18. Perez. C. eod. n. 20. Wiest. hic n. 36. & hoc teste recepta hodie DD. sententia.*

Dubium est, an etiam plenè adversus confessum, & ejus hæredes probeat Confessio testatoris, si illa obligationem spectet, e. g. si dicat se debere Cajo 1000. fl. Ratio dubitandi est, quia confessioni in articulo mortis constituti in ipsius duntaxat, non etiam tertij præjudicium creditur *l. fm. C. de convent. fisco. debitor.* præjudicaret autem



non confitenti solum, sed etiam hæredibus, si hoc casu fides eidem adhiheretur in Judicio. Ergo &c.

37 Sed distinguendum est, an hujusmodi confessio simplex duntaxat sit, an verò adminiculata. Si primum, debitum quidem contra hæredes probandi vim nullam habet, in vim tamen Legati, si persona, cui testator obligatum se confitetur, talis sit, ut testamento aliquid ei relinquere non sit Jure prohibitum, confessio talis valet, ita ut si defunctus circa debitum errasse non comprobetur, 1000. illi floreni peti tanquam legatum, aut fideicommissum possint. *l. Aurelius 28. §. fin. fi. de liberat. legat. Sabell. §. confessio n. 18. Perez C. h. tit. n. 21. Honor. hic n. 11. Schambog. n. 20. König n. 3. Wiest. n. 38. Addidi, Si persona talis sit, ut defunctus relinquere ipsi aliquid testamento possit; secus enim, debiti causa non apparente, ad solvendum hæredes non obligat talis confessio, quòd in fraudem Legis videatur facta esse l. cum quis 37. §. Titia 6. ff. de Legat. 3. Gibalin. rer. hum. negot. l. 6. c. 3. art. 8. n. 21. Zoel. l. cit. n. 23. Perez n. 23. Wiest. n. 38.*

38 Si secundum, plenam vim probandi, & hæredibus præjudicandi habet idque in triplici casu. 1. Si causa debiti certa expressa sit, & probari non possit, quòd istius expressio sit errore facta *l. Lucius 93. §. Sempronie 1. ff. de legat. 3. P. Wiest. n. 37. 2. Si Juramento sit confirmata, vel factum testator se jurasse affirmarit; quia tunc videtur velle eam valere omni meliore modo, & reliquum remittere l. cum quis cit. §. Codicillis 5. l. cum pater 77. §. filius 23. ff. de legat. 2. Sabell. n. 19. Perez n. 22. Honor. n. 11. Wiest. l. cit. 3. Si defunctus quedam injustè possessa, vel malè e.g. fœnerando parta confiteatur, & in exonerationem conscientie suæ restitui jubeat; nam hujusmodi confessio, etiam non jurata, probat, ita, ut ex illa, quæ injustè detenta, & malè comparata dicuntur, tanquam aliena restitui debeant. *Marant. tit. de confess. n. 16. Perez n. 24. Schamb. n. 20. cum alijs supra.**

Ad rationem dubitandi dicendum regulam ibi allatam solum intelligendam de confessione simplici, quæ causam debiti expressam non habet, vel ex juramento, aut aliunde adminiculum nullum accipit.

39 Quæritur 6. quando Judex ex denuntiatione Sociorum criminis à reo facta procedere possit ex officio ad specialiter inquirendum, citandum, capiendum, vel etiam torquendum personas denunciatas? R. aliter discurrendum, quando crimen est exceptum: & aliter, quando non est exceptum. Si exceptum est, videndum, an hujusmodi depositio sit adminiculata alio indicio verisimili criminis; nam tunc inquisitio specialis contra sic denuntiatum institui

potest à Judice, & assumi aliæ probationes. At si alijs adminiculis suffulta non fuerit, denuntiatio hujusmodi etiam in crimine excepto non sufficit, ut bene advertit Menoch. *de arbitr. cas. 474. n. 25. Mascard. concl. 1312. n. 11. Pirh. hic n. 33. & alij ab his cit.* Ratio est; quia Jus naturale, & gentium dicitur, non esse credendum denuntianti in alterius præjudicium, nisi verisimile indicium, vel præsumptionem criminis afferat; aliàs quilibet, & pro arbitrio suo posset alterius famam lædere, & personam ejus in discrimen adducere.

Si verò exceptum non sit ejusmodi 40 crimen, cujus reos denuntiavit socios criminis socius, iterum distinguendum, an reus spontè suâ denuntiationem fecerit, an verò ad interrogationem Judicis. Si hoc secundum, nullo alio indicio concurrente, adversus personam sic denuntiatam ad specialem inquisitionem Judex non potest procedere, ut ex communi docent Menoch. *de arbitr. cas. 474. n. 24. Mascard. n. 11. cit. Laym. in c. 1. h. tit. n. 17. Pirh. hic n. 32. Wiest. n. 27.* Ratio est, quia spectato Jure communi, Judex in hujusmodi criminibus non exceptis, nisi indicium aliquod adsit criminis, interrogare non potest de socijs criminis, ut dictum est *n. 5. supra.* Igitur etiam confessio Rei respondentis illegitima erit, & contra prohibitionem Juris: ac proinde ad specialiter inquirendum non potest sufficere.

Si verò primum contingat, & reus 41 spontè, & non interrogatus denuntiet Socium in Judicio, ejusmodi denuntiatio, modò in ijs circumstantijs fiat, ut aliquale indicium præbere possit, ad inquisitionem specialem de denuntiato faciendam sufficit, & aliquando, si ita gravia sint indicia, etiam ad capturam, imò etiam ad subijciendum illum torture, ut bene notant Farin. *prax. crim. q. 37. n. 3. Laym. in c. 1. h. tit. n. 19. Pirh. hic n. 35. Wiest. n. 28.* Ratio est, quia tunc denuntiatio socij non recipitur ut depositio testis, sed tanquam denuntiatoris, vel accusatoris, qui tantum viam aperit ad inquirendum: talis autem potest esse quilibet homo vilis, & infamis, vel aliàs non idoneus ad testificandum. Dixi autem, si aliquale indicium præbere possit. Tale indicium imprimis est publica infamia persona denuntiatæ: ob solas autem denuntiationes reorum, etiam plurium, nisi in indicijs sufficientibus fundentur, inquisitio contra personam aliàs honestam non potest institui. Addidi, *Si indicia ita sint gravia.* Debent autem esse talia, ut meritò Judex, & quivis alius prudens moveri possit ad judicandum, quòd crimen ejusmodi sit commissum à denuntiato. Et tunc primum procedi poterit ad torturam, vel capturam. Ubi noto, majora requiri indicia ad capturam, quàm ad inquisitionem instituendam ad-



adversus denuntiatum; item majora ad torturam, quam ad capturam; ad condemnandam vero personam denuntiatam non sufficere ulla indicia, nisi probationem faciant certam, & indubitam: & ratio est, quia quanto majus est præjudicium Rei, tanto major & perfectior debet esse probatio.

42. **Quæritur 7.** quando Confessio Procuratoris noceat domino, antecessoris Successori, Prælati ejusdem Ecclesiæ? *¶* Ad 1. distinguendo, num Procurator ex officij necessitate confiscatur, fortè quòd à legitima potestate fuerit interrogatus; an verò citra necessitatem officij spontè quid aferat. *¶* Si hoc secundum, confessio illius domino non præjudicat *l. certum. 6. §. sed an 4. ff. h. tit. & meritò*, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur *l. non debet 74. ff. de R. J. & in potestate Procuratoris sit rem domini donare, aut perdere. Si primum, ulterius dispiciendum, quale mandatum habeat; nam si generale solum mandatum habet, iterum principali non nocet ejus confessio §. sed an cit. l. si sine 9. §. Celsus 4. ff. de interrog. in Jur. faciend.* Si verò speciale, aut generale quidem, sed cum libera, ac proinde æquivalens speciali, quale olim habebant Oeconomi Ecclesiarum, seu Procuratores generales, sua confessione præjudicat domino *c. fin. h. tit. c. dilectus 2. fin. de Capell. Monach. c. suborta 2. de sent. & re judic. l. qui servum 20. princ. ff. de interrog. in Jur. fac. ibi: Idem est in eo, qui mandato heredis heredem se esse respondit Sc. Bartol. in §. sed an cit. n. 2. Perez C. h. tit. n. 13. Zœf. ff. eod. n. 7. Gonzal. in c. fin. cit. n. 12. Honor. hic n. 41. König n. 8. Wiest. n. 17. Reiffenstuel n. 9. & novissimè R. P. Schmier. l. cit. n. 37. & seqq.*

43. **Ad 2.** distinguendum est inter successorem universalem, & singularem. Successor universalis revocare confessionem antecessoris potest tamdiu, quamdiu defunctus, si mortuus non fuisset, revocare illam potuisset; quia succedit in omnia jura defuncti. Ergo etiam in jus revocandi confessionem ab antecessore factam. Successori singulari confessio antecessoris nocet, ita ut eam revocare non possit; quia ad hunc non transeunt actiones personales, ut post alios docet Pax Jordan. l. 14. tit. 16. n. 147. Haun. tom. 5. tr. 3. n. 522.

**Ad 3.** eadem distinctio est adhibenda, quæ de Procuratore; nam Confessio Prælati non præjudicat Ecclesiæ, vel Monasterio, si extra Judicium, & omnino voluntariè nullaque officij, vel Judicij necessitate facta sit *arg. c. requisivit 1. de in integ. restit.* Secus, si in Judicio, & ex necessitate sit facta, ita tamen, ut casu, quo Prælati confessione Ecclesia læsa est, ei succurratur beneficio restitutionis in integrum, vel si viâ revocationis uti velit, errorem, si quis intervenisset, quandocunque voluerit, ante

conclusionem in causa revocare possit *c. fin. de in integ. rest. in 6. Abb. in c. fin. h. tit. n. 4. Engl. hic n. 19. Wiest. n. 18.*

**Quæritur 8.** an litigans pro confesso habeatur, quando Positionibus Adversarij sui respondere recusat? *¶* distinguendo inter causas criminales, & civiles. *In causis criminalibus* ex communi DD. sensu non habetur pro confesso; quia in illis ob maximum præjudicium, quod afferunt, omnino liquida, & luce meridiana clariore probationes exiguntur *l. absentem 5. ff. de penis, & l. fin. C. de probat. Gaill. l. 1. de Pac. publ. c. 15. n. 1. 2. & 5. Barbof. in c. fin. h. tit. in 6. n. 9. Pirh. hic n. 12. Schamb. n. 3.*

*In civilibus*, si post litem contestatam, & Juramentum dandorum Adversarij sui Positionibus respondere jussus litigans absque rationabili causa recuset respondere, habetur pro confesso quoad ea, quæ in Positionibus, sive articulis continentur, prout statuit Bonifacius VIII. *c. fin. h. tit. in 6.* tum ob contumaciam, tum quia taciturnitas in loco, & tempore, quo interrogatus respondere tenetur, Juris præsumptione, & interpretatione pro consensu habetur *reg. qui tacet 43. in 6. Barbof. in c. fin. cit. n. 1. Passerin. ibid. n. 2. Honor. n. 23. Schamb. n. 3.*

**Dixi absque causa rationabili;** nam si causam rationabilem habeat, pro confesso non habetur *c. fin. cit.* Talis est 1. si articulis contenta essent superflua, & causam, de qua agitur, nullo modo concernerent. 2. Si Positio sit incerta, dubia, & obscura; nam sicut responsio, ita & positio clara, & certa esse debet. 3. Si esset calumniosa, impossibilis, vel captiosa, h. e. respondentem inducens ad perplexitatem. 4. Si attingeret crimen Rei omnino occultum; tale enim, etsi ad rem faceret, prodere, seque ipsum infamare non obligatur, sed potest denegare responsionem. 5. Si esset non de facto proprio ipsius rei, sed de Jure tantum; nam quæstiones Juris Judici relinquuntur. *Gloss. in c. cum causa 37. V. de causis de test. & attest. Passerin. in c. fin. h. tit. in 6. à n. 28. Schamb. hic n. 3. Engl. n. 7. & seqq. Wiest. n. 16.*

In cæteris casibus, ubi recusans respondere pro confesso habetur, opus est sententiâ Judicis declaratoria, per quam pronuntiet reum sine legitima causa non respondisse, vel contumacem esse. *Gloss. fin. in c. fin. cit. Franc. ibid. n. 19. Barb. in ult. Pirh. n. 12.* Admittitur autem adversus præsumptionem hanc probatio; quia est præsumptio Juris tantum, & non de Jure: & hinc si postea reus se purgaverit Judici, & taciturnitatem excusaverit, adversus eam absolvi debet; quia præsumptio cedit veritati.

**Quæritur 9.** quâ poenâ affici possit ille, qui crimen in Judicio confessus est incidenter?



ter? Ratio dubitandi est, quia ex una parte videtur infligenda ordinaria ex c. cum super 2. h. tit. ubi Innocentius III. Canonicum Bethlemitanum, crimen Simonie incidenter confessum, coercuit depositione ab omni Beneficio, & Officio Ecclesiastico, quæ est poena Simonie ordinaria: ex altera verò parte videtur non Ordinaria, sed arbitraria duntaxat hoc casu locum esse ex c. denique 1. de except. ubi Cælestinus III. statuit, eos, qui de criminibus, ad solam exceptionem objectis, convicti fuerint, vel confessi, poenâ ordinariâ multari non debere, cum accusatio in ipsos secundum Juris ordinem non procedat.

Satisfieri parti utrique potest, si adhibeatur distinctio, quâ utuntur Gloss. in c. cum super 2. h. tit. V. confessus, Abb. ibid. n. 6. Laym. n. 1. Barbof. n. 4. Gonz. n. 2. König n. 16. Wiest. n. 29. & novissimè R. P. Schmier Process. Judic. c. 8. n. 91. juxta quos ob solam confessionem incidentem ad poenam ordinariam procedi non potest; quia ad hanc non proceditur sine legitimo accusatore, qui planè deficit casu, quo crimen solummodo incidenter, & cum de eo non ageretur, in Judicium venit: posse autem, si Judex, instituto novo Processu, in criminofum ex officio inquirat; nam hoc casu, si ad poenam Ordinariam procedatur, non ex vi solius confessionis ad eam proceditur, sed ob indicia, & probationes, quæ per inquisitionem detecta sunt, & cum confessione propria in Judicio incidenter facta efficiunt probationem plenam, & sufficientem ad irrogandam hanc poenam.

47 Neque obstat 1. quòd c. quàm sit 9. de excess. Pralat. Clericus propter publicam confessionem delicti carnalis ordinariâ poenâ suspensionis ab Officio, & Beneficio punitus fuerit sine nova accusatione, vel inquisitione; quia ita punitus fuit non tam ob delictum illud, quàm ob publicam instantiam, & gloriationem de illo crimine, sufficienter probatam in Judicio, super hoc contra eundem Clericum instituto, prout sumitur ex verbis, Si tibi confiterit.

Non obstat 2. c. inquisitionis 21. de accusat. ubi habetur, quòd, quando proceditur per viam inquisitionis, possit infligi à Judice poena arbitraria; quia per hoc non prohibetur infligi ordinaria.

48 Queritur 10. an confessio facta in Judicio à parte litigante revocari possit? n. distinguendo: vel enim in continenti pars litigans suam confessionem revocat, vel solum ex intervallo. Si primum, revocatio confessionis admittitur, tamen nullus error probatus fuerit, maximè si confessio illa à parte adversa nondum est acceptata. Colligitur arg. c. præterea 7. de testib. cogend. ubi habetur, quòd testis errorem suum corrigere in continenti possit: in quem locum Abb. n. 4. ait idem dicendum de parte in continenti revocante confessionem suam. In

continenti autem revocata dicitur, si revocata sit ante recessum à Judice, prout advertit Gloss. in c. præterea cit. V. in continenti, & colligitur ex eo, quia in alijs quoque materijs in continenti reputatur fieri, quòd sit, antequam partes ad alia negotia discesserint.

Si secundum, videndum, an quis revocare velit errorem commissum à Procuratore, Administratore, Oeconomo, Syndico, an verò revocare velit confessionem propriam. Si prius, sufficit ad revocandam illius confessionem probare, quòd res non ita se habeat; quia Procurator, vel Administrator de facto alieno confessus est, & error in facto alieno probabilis est, ut proinde tunc locum habeat Regula 47. in 6. quâ dicitur, quòd presumatur ignorantia, ubi scientia non probatur. Gloss. in l. 2. V. qui errat ff. h. tit. Perez C. eod. n. 14. Honor. hic n. 14. & communiter DD. ceteri. Excipie, nisi error sit in tali facto, de quo ex officio tenebatur inquirere, illudque nôsse; tunc enim non sufficit probare rem aliter se habere, quia præsumptio stat contra ipsum arg. c. immotuit 20. & ibi Gloss. V. ignorantiam de elect. Abb. in c. fin. h. tit. n. 23. Pirh. hic n. 8.

Si posterius, ante litem contestatam sufficit probare rem aliter se habere; post contestationem litis autem necesse erit probare errorem, vel saltem pars confessionem suam revocatura circumstantias afferre debet, ex quibus errorem suum probabilem reddat: quales sunt, si ostendat se alterius dolo, suasionem, aut metu ad confitendum inductum fuisse, si demonstret longius tempus inter factum & confessionem intercessisse, si negotium sit intricatum, & perplexum &c. nam hoc si fiat, admittitur revocatio confessionis in Judicio factæ etiam ex intervallo, & post contestationem litis, modò fiat ante sententiam, ut habetur c. fin. h. tit. & l. error 7. C. de J. & F. J. & confirmatur; quia etiam testis corrigere errorem ex intervallo potest. Proceditque hoc, etiam si confessio jurata fuerit; non enim, quia errat, aut fallitur, perjurus est. Abb. in c. fin. cit. n. 23. Laym. ibid. n. 1. Hiltrop. tit. 17. §. quand. confess. revocar. Wesenbec. ff. h. tit. n. 7. Zœl. eod. n. 5. Henr. Canif. hic n. 3. Haun. tr. 3. cit. n. 512. Pirh. n. 21. Sannig. c. 2. n. 11. Wiest. n. 5.

Excipitur 1. si quis spontè, & sciens falsum confiteatur; nam qui spontè confitetur se debitorem, vel contrà sibi nihil deberi, non revocat confessionem, sed donare censetur. 2. Si non in facto sit error, sed in Jure ipso: cujus ratio redditur l. in omni 2. ff. de J. & F. J. quòd Jus finitum, & certum sit, ita ut citra culpam ignorari non possit. 3. Si in proprio facto erraret confessus; nam hic error æquiparatur errori Juris. 4. Si error facti procederet ex culpa lata versutia; nam hæc dolo

Kk

pro-



proxima est, & propterea erroneam confessionem revocari prohibet. Quæ, & plura latius prosequitur Hiltrop, l. cit. à n. 2. qui n. 8. notat, ea, quæ dicta sunt de confessione erronea, non tantum procedere in reo negante, vel confitente aliquid

aliter, quam res se habeat, sed etiam in actore, qui si in libello suo non ex veritate narraret, vel deduceret, posset id ipsum impune revocare ante litem contestatam, post contestationem litem autem non aliter, quam si errorem doceret.

## TITULUS XIX.

### De Probationibus.

**I**nter Positiones Actoris reus aliquas confitetur; alias negat: quas confitetur, probare non debet Actor, sed Rei confessione à probatione earum relevatur: quas negat, probare oportet; nam ut bene Zœf. hic n. 1. inanis est actio, nisi indubitata probationis fide liqueat vera esse, quæ ad-

ducuntur. Potest autem illas probare vel per testes, vel per instrumenta, vel ex præsumptionibus, aut Juramento suppletorio probationis: ad quas probationum species antequam descendatur, non inconvenienter Titulus de Probationibus in genere hic præmittitur. Sit igitur

### §. I.

### De Probationis Natura, Varietate, Effectu.

## SUMMARIUM.

1. 2. 9. Definitio Probationis, & hujus explicatio.  
4. 5. 6. Forma.  
7. 8. 9. Varietas.  
10. 11. 12. 13. Species Probationis plene & ejus effectus.  
14. 15. Species, & effectus Semiplene probationis.

16. 17. Quando duo Semiplene faciant unam plenam?  
18. 19. 20. 21. Inspectionis Ocularis modus, & vis.  
22. Quid sit Fama?  
23. Modus istam probandi.  
24. Effectus in Criminalibus causis.  
25. In Civilibus.

**Q**uaritur 1. quid sit Probatio? *14. Probatio*, prout huc pertinet, communiter definiri solet, quod sit *rei dubie, seu controversæ per legitima argumenta facta ostensio*. Ita Accurf. ad Rubr. C. h. tit. Host. in Summ. hic n. 1. Mascard. de probat. Procem. q. 2. n. 8. Pirh. n. 1. hic. Schambog. n. 1. & plures alij. Faciunt aliqui difficultatem, quod non conveniat Probationi per testes, & instrumenta; quia hæc propriè argumenta non sunt: Verùm hæc difficultas facile solvitur, si dicatur Vocem *Argumentum* hic sumi latè pro quocunque medio utili ad probandum. Vel si extendere hoc modo vocem *Argumentum* non libeat, dic cum alijs: *Probatio est Actus Judicialis, quo per instrumenta, aut testes, aut idonea argumenta Judici de re, aut factò dubio, & controverso sit fides*. Dicit hæc definitio quoad sensum idem, quod prior, sed clarior aliquando est, eamque defendunt Wesenbec, ff. h. tit. n. 2. Struv. Syntagm. i. bid. n. 2. Pirh. l. cit. König n. 2. Wiest. n. 2. cum alijs.

Dicitur 1. *Actus Judicialis*; quia probationes sunt post litem contestatam, à qua propriè Judicium incipit, ut Tit. 5. n. 1. supra dictum est: quod intelligendum est ordinariè; nam aliquando Attestationes recipiuntur ante litem institutam, vel contestatam; de quo Tit. 6. à n. 2. differui latius.

Dicitur 2. *Judici*; nam huic, non parti facienda probatio est; parti enim nunquam satis probaretur, etiamsi quis ipsum Solem pro ostendenda veritate in manibus gereret l. *quingenta 12. in fin.* & ibi Gloss. V. *Judici ff. h. tit.* Similiter nec Probatio fieri debet Notario; quia hujus non est qualitatem Probationis examinare, nisi hoc eidem delegeret à Judice. Sed quamvis hoc verum sit, in præsentia tamen utriusque fieri debet: Adversarij quidem, ut respondere objectis possit; Notarij autem, ut in acta eandem referat c. *ex litteris 3. h. tit.*

Dicitur 3. *per argumenta idonea*, sc. talia, quæ ad causam propositam faciant, & necessariò concludant, seu inferant id, quod per Probationem intenditur; nam finis Probationis est, ut Judici fidem faciat l. *quingenta cit.* & ut is intelligere possit, qualem sententiam ferre debeat: quorum neutrum fieret, si Probationes concludentes non forent.

Dicitur 4. *de re, aut factò*; nam ea, quæ Juris sunt, quia jam antecedenter Judici censentur nota, idcirco probatione non indigent. Excipitur, nisi sint Juris specialis, aut consuetudinarij; hæc enim, quia peritissimos latere possunt, ab allegante probanda sunt. P. Wiest. hic n. 2. fin.

Dicitur 5. *dubio, & controverso*; quia mani-